

testimonium presentes litteras exinde conscribi et maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

Datum in Swinfürte IIII. Kalend. Maii, indiccione tercia, anno domini millesimo CCC^o quinto, regni vero nostri anno septimo.

2.

1306 Apr. 28 Schweinfurt¹.

Albertus dei gracia Romanorum rex semper augustus universis sacri Romani imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gracionem suam et omne bonum. Romani imperii celsitudo consurgens antiquitus et fundata mirifice super immobile firmamentum excellencie prerogativa, qua viguit, columpnis meruit stabilibus stabiliri et egregiis edificiorum iuncturis indissolubiliter adornari. Inter quas quidem illustres principes ad tocius operis machinam subportandam precipue ut columpnas voluit pociori prestancia preminere^a, ut, quo uberius gracie privilegiis insigniri se sentiunt, eo amplius debeant obsequiose vicissitudinis redibitione gratuita ceteris preclarere. Sane cum venerabilis Phylippus episcopus ecclesie Eystetensis, dilectus noster princeps, ad celsitudinis nostre presenciam nuper accedens, Romano imperio et nobis obsequiose devocionis signa pretenderit et omnimode obieccionis insignia presentarit, nos ipsum tamquam nostrum et imperii principem ad benivolos applausive dulcedinis admittentes amplexus, regalia feoda principatus pontificalis, quem obtinet, sibi de regia liberalitate concessimus et eundem Phylippum investivimus de eisdem, administracionem temporalium et iurisdiccione plenariam principatus eiusdem ecclesie prenotato episcopo serie presencium committentes. Quocirca universis et singulis vasallis, ministerialibus et hominibus suis et ecclesie sue damus presentibus in mandatis, quatenus ipsi episcopo tamquam principi nostro et domino suo intendant in omnibus humiliter et pareant reverenter. In cuius nostre concessionis evidens testimonium presentes litteras exinde conscribi et maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

Datum in Swinfürte IIII^o Kalen. Maii, indiccione quarta, anno domini M^o CCC^o sexto, regni vero nostri anno octavo.

a) Kopialbuch: 'preminire'.

1) Kopialbuch fol. XXVII'. Rubrum: 'Rex Albertus investit dominum Philipppum, episcopum Eystetensem de regalibus suis'.